

2795
ORDINIS MEDICORVM
IN VNIVERSITATE LIPSICA

H. T.

PROCANCELLARIVS
D. ANTONIVS GVILIELMVS PLAZ

PATHOL. P. P. Q2 FACVLT. MED. ET. NATION. SAXON

SENIOR. DECEMVIR. MAIOR. PRINCIP. COLL. COLLEGA

ACAD. IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. SOCIVS

PANEGYRIN MEDICAM

AD D. XVIII. IVN. A. R. G. MDCCLXXIII.

INDICIT

ET

DE MINVTIIS

NON SEMPER A MEDICO POSTHABENDIS

PROLVSIONE PRIMA

EXFONIT.

pathol. gen.

53,24

Officina medici.

Weyßhagen

ORDINIS MEDICORVM

IN VNIuersITATE LISIACENSIS

H. T.

PROFESSORIS

D. ANTONII GUILIELMI

NONATIUS

Et minimis rebus pondus inesse vides.

PANEGYRICVM

AD D. X. VII. IAN. A. R. G. MDCCCLXXII

INDICIS

ET

DE MINVTIS

NON SEMPER A MEDICO POSTHABENDIS

PROLEGOMENE PRIMA

EXORDIUM



deo multae quotidie in universa re medica ob-
veniunt, et objectorum, et coeptorum, et
eventuum varietates, ut in iisdem exacte satis
contemplandis, atque prudenter dijudicandis,
omne propemodum vitae tempus consumi, neque tamen
omnium perfecta cognitio acquiri posse videatur, dum vitae
hujus brevitatem, longae nimium arti ediscendae haud qua-
quam sufficere, et HIPPOCRATES jam professus est *), et
ipsa experientia affatim testatur. Quodsi enim diligente modo
animi perpendere lubeat attentione, quae solius tantum natu-
rae beneficio mortalibus quotidie eveniunt, et quae intra
ipsum humanum corpus peraguntur, innumerarum omnino
vicissitudinum, diversissimo modo, pro aetatis, sexus, tem-
periei, climatis, vivendi generis, cet. ratione contingentium
mirari conveniet discrimina, eo curatiore attentione digna, quo
certius ex his, quotidianis licet, ad sanitatis tamen statum ma-
ximopere pertinentibus causis, causarumque istarum effectibus,
effectuumque istorum inordinatis quandoque mutationibus,
morbosae conditionis contraria] signa dijudicanda veniunt,
Somni, victus, vigiliarum, negotiorum, animi commotio-
num,

A 2

*) Sect. I. aphor. 1.



num, excernendorum, et quaecunque in rerum non naturalium habentur numero, assidua consideratio, constantissima medicis subministrat fundamenta, tum vegetioris valetudinis spem firmandi, tum parum gratis praesagiis, de futuris morbis metuendis praenunciandi, deque eorum atrocitas in tempore vitanda, salutaria consilia ineundi. Etiam si enim *nemo omnium mortalium, quid futurum sit, exploratum habeat* *), quandoquidem


multos fortuna labores

Versat adhuc, casusque jubet nescire futuros **),


neque quisquam etiam medicorum, peculiare atque inexpectatos cunctorum morborum semper praedicere queat eventus, non tamen adeo plane obscura aut prorsus recondita sunt plurimarum, quae et sano et aegro homini eveniunt rerum indicia, quin ex his, maxima saepe cum probabilitate, de futuris effectibus statuere liceat. Sola enim sunt signa, quibus medicus utitur, dum vel praesentem dijudicat morbum, aut sanitatis constantioris, aut rediturae praesagium fert, aut fatalis quoque exitus nuncius est; ex quibus hinc etiam, si praesentia fuerint, si praeterita, futuri quoque argumenta et consilia petit. Nihil hic fingere licet, neque ingeniosis ineptire hypothefibus, quicquid potius praesentium occurrit signorum, rationali medico sufficiet. Haec, quandoquidem non raro, vel ambigua, vel plane fallacia sunt, dum dolosa sua specie, vel exercitatissimos in arte decipiunt, non tamen in universum ita sunt aut negligenda, aut penitus posthabenda, ut nihil plane significare existimentur, quin potius, pro diversarum circumstantiarum, in ipsis aegris obvenientium, aut locorum, in quibus sese manifestant, aut temporum, quibus contingunt ratione, plus minus sollicitam mereri videbuntur attentionem. Nimium saepe scrupulosi sunt, in minutissimis rebus, exiguam profecto utilitatem ferentibus,

*) "Αδελόν τὸ μέλλον ἀπασιν ἀνθρώποις. DEMOSTHENES Orat. XV. de Rhodiensium libertate.

***) SILIVS ITAL. Libr. X. v. 574.




et cognoscendis, et avidissime conquirendis, nudo et armato oculo lustrandis describendisque mortales; quidni et in illis aliqua ponenda erit opera, quae magnorum quandoque eventuum, sive exoptatorum, sive tristiorum, dant indicia? Exoptant non solum multi, non tam morbi nomen et indolem scire, quam eorum potius, quae vel metuenda vel speranda sint, audire praesagia, verum et in rebus, a medico peragendis, haud parum conducit, quid futurum sit, e longinquo jam videre, atque constantiora, et prognosticarum et curatoriarum indicationum, quam maturime exinde petere fundamenta. Omnium ergo, quaecunque vel in morbis, vel in statu sano eveniunt, minutissimarum etiam quandoque circumstantiarum, ponderanda erunt phaenomena; neque minus in casibus forensibus, simili cum accuratone, et lustrationem, et dijudicationem visorum repertorum instituere conveniet; quae, quandoquidem omnino cum iudicio suscipienda sunt, ne vel iniquior culpa in reos transferatur, aut ob leviolem inspectionem, factorum gravitas extenuetur, levissimorum tamen, nihilque plane significantium, indeque superfluum momentorum, nimium curiosam excludunt considerationem. Quid enim opus erit, cunctas, si quae in cadaveribus obvenerint, superficiales maculas cutaneas, verruculas, crinium colorem, nasi adunci aut fini formam, similiaque, nihil plane ad rem facientia signa, sollicitè adnotare, aut in vivo corpore, ex morfu, a pulice forte inflicto, variolosi morbi, aut morbillorum, aliusve exanthematici morbi, praeproperum formare praesagium? An, cum quis ex varicula, in faucibus forte exorta, unam alteramve sanguinis excreverit guttulam, quod multis subito, atque sine ullo incommodo evenire solet, ilico haemoptysin suspectam, ex vase in pulmonibus rupto metuentam, praenunciare decebit? aut, cum ventriculus, largiore cerasorum aut vacciniorum esu praegravatus, grumosa haec contenta vomitu rejecerit, cruentum vomitum suspicari conveniet? hoc certe, vel inscitiae, vel ventosae vaniloquentiae argueret medicum, ex levissimis istis malis, malorum nomen



vix promerentibus, atque ultro cessaturis, medicationis citissimae gloriolam captaturum. Neque etiam omnes actiones, ab aliis alio aliove modo susceptae, ita in universum sunt aestimandae, ut, si quidem a vulgatiore more recessisse videantur, sinistro id fieri omine, constanter statim defendatur. Quod si potiore disquiramus causam, qua multi ducti, levioribus saepe momentis adeo pertinaciter inhaerent, ut nescio quod magnum pondus iisdem inesse arbitrentur, solam quandam praeconceptam opinionem, iudicio non satis suffultam, accusandam esse, deprehendemus. Haec, semel animo infixae, siue ultro nata fuerit, siue ab aliis accepta, siue ideis, in mentem sine deliberatione admittis originem debeat, adeo profundas saepe radices agit, ut nullis propemodum everti et evelli queat argumentis. Proxima causa, in cognitionis medicae ponenda esse videtur defectu. Quo etenim pacto, cuncta, quae multum aut nihil significant, recte dijudicare poterit, qui in ipsarum medicarum scientiarum campo hospes est, neque sanitatis signa recte novit, neque, quid in morbis evenire soleat, et quo modo morborum signa, causae, symptomata, ex temporum et graduum suorum diversitate pensitanda sint, attente satis didicit. Inde nempe est, quod intempestivo timori, aut probrosissimae audaciae, plenae, uti in proverbio est, aperiantur fenestrae, ita, ut semper, tum immmani metu, aegri frustra torqueantur, tum etiam vana spe, thraconicisque pollicitis sopiti, decipiantur, nisi cunctorum, quicunque contingere solent, eventuum causae, et prudenter ponderentur, et causarum, quarumcunque demum, vel minimarum etiam indoles, quoad expectandos et conciliandos inde effectus, circumspicte satis aestimetur. Vti nempe in universo naturae regno, constantissima quadam propemodum sancitum est lege, ut maximarum rerum levissima, atque vix attentione digna sint primordia, sensim tamen stupendis eventibus sese manifestantia, ita et in rebus, praeter naturam in corpore humano contingentibus, multae ut plurimum per minimos ire solent gradus, usque dum summo sensim incremento capto, vel in perniciem,

ciem,



ciem, vel in vitae nostrae cedant emolumentum; quandoquidem nunquam saltum committens natura, nisi coacta, raro admodum adeo inordinatis atque repentinis motibus, quantumvis non eodem semper et aequali velocitatis aut contumaciae gradu invadentibus, aut salutarium moliminum spem facit, aut perniciosos etiam inducere minatur effectus, quin et horum subitaneorum phaenomenorum varii percipiuntur praenuncii, vigilantis medici vix unquam fugientes prudentiam. Vt plurimum tamen e longinquo, atque lento gradu incedens, de imminentibus mutationibus, sanitati nostrae damnosis futuris, levibus admodum praeludiis commonet, eo faciliore modo, dum in suis adhuc incunabulis sunt, abigendis, quo constantiore dudum confirmatum fuit veritate, mala, quae per longas invaluere moras, serae medicinae difficulter obtemperare. Est in multis morbis, veluti cum vegetabilium seminibus res comparata. In his videlicet exiguis corpusculis, tota quanta est, jam continetur planta, atque in hoc compendio, omnium partium, radicae, caulis, foliorum et florum habitus, adeo saepe manifeste sunt conspicua, ut vel nudis quandoque oculis, omnis earum forma, distincte cognosci possit; quae tenella rudimenta, quam primum opportuna culturae et nutritionis ope evoluta fuerint, praegrandi statura exsurgentem mirari conveniet plantam, cujus seminibus si nutrimentum subtraxeris, omni spe ulterioris incrementi te casurum, experiere. Eadem sunt multorum morborum, adeo exigua saepe elementa, diu in humano corpore latentia, ut vix, nec ab exercitatissimo medico, fatales, ex doloso ipsorum incremento metuendae, praesciri possint attentationes, eo tamen curatiore attentione, ex minimorum momentorum sedula observatione cognoscendae, quo nocentiores et pertinaciores ut plurimum, hac ipsa qua irrepunt tarditate, evadere consueverunt, atque simili hinc ratione, omni augmenti opportunitate subtracta, in ipsis suis incunabilis suffocandae sunt. Luculentissimum esto, praeter quam plura alia, in hereditariis morbis exemplum. Horum subtilissima miasmata, per tra-

tra-




traducem a parentibus ad liberos, ab his ad nepotes transferri, adeo certum, atque innumerarum observationum testimoniis est corroboratum *), ut ad hujus rei veritatem stabiliendam, fusioribus haud opus sit praesidiis, sola experientia, omnium argumentorum instar habenda. Minima omnino sunt v. c. podagrae, inter hereditarios morbos frequentissimi, in corpore humano stamina, adeo adhuc, quoad veram suam essentiam ignota, ut, quoniam ipsius hujus materialis causae natura, omnem adhuc medicorum elusit sollertiam, plenaria quoque ejus eradicatio, inter pia medicorum desideria, irrita semper futura, merito referenda sit. Hoc interim certum est, qualiscunque materiae podagricae sit indoles, eam subtilissimam esse, atque adeo agilem, ut non solum in quovis, in quo jam diu haesit corpore, levissima accedente causa, excitetur, verum etiam mira quadam communicatione, hereditario atque possessionis quasi jure, ad nonnullarum familiarum progeniem transeat, quin imo per contagium etiam alios inficiat. **). An hanc, ad posteros ita facile propagandam labem, nulla plane attentione dignam existimabit medicus? dignus profecto, qui propter hanc incuriam, ipse nodosae podagrae sentiat cruciatus, ut de iisdem, quantum per artem fieri poterat, et consilio et auxilio praecavendis, serio et gnäviter cogitare discat. Uti enim longe facilius est et gloriosius, venturo occurrere morbo, quam praesentem depellere, ita et insidiarum, a podagra non sine ratione, potissimum cum hereditaria fuerit, metuendarum, suspectis in tempore occurrere moliminibus, eo magis est necessarium, quo graviores ab omnibus innatis malis extimescendae sunt noxae, tristiores longe scenas habituali sua contumacia lusurae, quam cum inductorum saltem morborum debellanda est atrocitas. Enim vero, quis est quin sciat, quam facile morbi istius modi innati, quorum causae

prae-

*) Confer. ROLFINCII *Medicina consult.* L. IV. Conf. 10. p. 492. SEBIZII *Exercitat. pathol.* p. 263. *de phthisi hereditaria.* ZACUTVS LVSITANVS in *Praxi admiranda*, L. I. Obs. 36. *de epilepsia hereditaria.*

***) *Depodagra contagiosa* vid. *Act. Natur. Curios.* Dec. I. ann. 6. Obs. 142



praedisponentes, dudum in corpore latitantes, negligentius habentur, levissima quandoque occasionali accedente causa, evolvi consueverint. Etiam si ergo exiguae videantur occulti talis hostis vires, quam primum tamen vel aperte cognitae, vel iusta saltem suspicione prospectae fuerint, maturrime infringendae sunt. Cujus prudentissimi consilii exoptatum eventum, ipsum podagrae exemplum porro corroborat, atque, quanti ponderis minimum hoc visum sit momentum, in saevissimi hujus mali insultibus tum enervandis, tum et potissimum praecavendis, haud obscure edocet. Tutissimus hac in re poterit esse magister SYDENHAMVS, in se ipso podagrae dolores, nimium frequenter et acriter expertus, atque hinc in omnibus, quae de morbi hujus historia exposuit, plenam promeriturus fidem*). Etiam si enim senes plerumque podagra affligi asserat, potissimum, cum post vitam mollius transactam, corporis motum negligere inceperint, in florentissima tamen etiam aetate constitutos, ab hujus mali insultibus nequam tutos esse, comprobatur, in primis si infelicia hujus morbi semina a parentibus acceperint. Quae mali hujus vestigia, etiam si levissima videantur, tanto minus tamen insuper sunt habenda, quanto certius est, eos, qui curatiore circumspectione habita, atque moderatiore vivendi genere instituto, podagricae materiae evolutionem in suis statim principiis suffocare studuerunt, exoptata vigilantiae suae praemia inde tulisse, quod per omnem vitam immunes ab hac saevitie evaserint, ita, ut saltu quasi facto, quae jure ordinis a patre ad filium transfutura fuisset labes, providae tamen vitae cura suppressa, in nepote, minus caute vivente, resuscitata comparuerit. Quis non haec, minima quidem visa, effectu tamen suo nimium molesto, magna utique habenda, medicum merito monere existimet, ut si quidem forte, cujuscunque demum hereditarii morbi latere suspicetur semina, eorundem evolutioni, quo-


vis

*) In Tractatu de Podagra, qui Operibus ejus, Genevae 1717. editis inest, pag. 459. seq.




vis potius modo obstare studeat, quam praesentibus jam malis, medicinam, sero tamen ut plurimum paratam opponendi, opportunitatem expectet?

Sunt autem praeterea aliae, non minus subtiles morborum causae, ob hanc ipsam exilitatem, vix quae aestimentur dignae visae, atrocissimis nihilo secius effectibus, cum neglectae fuerint, sese manifestantes, indeque medicorum longe curatiorem, quam aliae, aperto magis impetu agentes, solertiam exposcentes. Huc praeter omne dubium pertinent morbi, a mentis quacunque perturbatione originem ducentes, maximas non solum, in corpore quoque turbas excitaturi, verum etiam, quo magis neglecti fuerint, vix vlllo, neque morali neque physico remedio corrigendi. Sive enim sola perversa imaginatio mentem corruperit, sive alius, qualiscunque demum affectus, sibi pertinacius in mentem arrogaverit imperium, proximus in spiritibus percipietur effectus, mox etiam ad corpus transiturus, aut, quod longe pejus est, omnem mentis tranquillitatem, salvo quandoque corpore, penitus everfurus. Non quidem omnium subjectorum, eadem ad causas tales admodum subtiles, ita promte recipiendas, est dispositio, vt semper, atque pari gravitate damnolos inde percipiant effectus; quo sensiliora tamen fuerint subjecta, eo magis quoque de tristissima ipsorum, et mentali et corporea metuendum esse mutatione, vel me non monente, quilibet facile largietur. Testatur hoc, tenerrimum, et nimium facile mobile feminarum, gravidarum in primis, systema nervosum, atque inde proveniens, ad imaginationes varias, satis saepe perversas, non solum vltro formandas, nutriendasque, verum etiam ex objectis externis excitatas, in foetus sui detrimentum recipiendas promptitudo. Etiam si enim modum atque vias, quibus membrorum informitas, defectus aut abundantia, nervorum variorum impressio, et quicquid monstrofi multis foetibus evenit, ex mente matris ad corpus embryonis transeat, plane ignoremus, eventum tamen causis suis nimium opportune respondere, omni dubio carere intelligimus. Idea porro inhaerens



haerens, sensim demum fixior facta, minimis incipit objecti cujusdam desiderati, aut summe exosi, aut alia quacunque ratione menti tenacissime impressi primordiis, dumque perpetuis dein sensuum cogitationumque, in varias partes volvitur et revolvitur contentionibus, adeo ampla mox capit nutrimenta, ut et omnis tranquillior rationis pereat usus, et facinorum audacissimorum criminibus, studiosissime saepe excogitatis, summam nihilo secius mentis alienationem aperte testantibus, liberissima aperiatur via. Has ideas, a minimo quasi puncto in enormem molem incrementales, nisi statim, cum generari inceperint, ejicere tentaverit medicus, non nisi immenso postmodum labore, cum adoleverint, exturbabit, quin imo saepissime, quod experientia testatur, omni incassum collocata opera, rebelles evasisse, atque in pejus perpetim degenerasse intelliget.

Missa tamen mente, ad corpus revertamur, cujus adeo mirram novimus esse fabricam, ut, cum a gravioribus quandoque causis, vix aliquod incommodum, nedum detrimentum sentiat, a minimis tamen molestissime afficiatur, cujus adeo peculiaris diversitatis ratio, in ipsarum omnino partium, et structura, variaque plus minus renitendi potentia, et officiorum praestantiore aut inferiore posita esse videtur conditione. Adeo nempe summe sensiles, et ilico irritabiles sunt nonnullae corporis partes, ut ne minimi quidem corpusculi, vix visibilis, ferre valeant contactum. Nihil propemodum oculo est magis irritabile; cum nempe vel minimum insectum, vel tenuissimi pulvilli molecula illic haereat, incredibilem inde oriri molestiam, quilibet suo edoctus exemplo, profitebitur. Perpetua nempe est oculi et vicinarum partium exagitatio, lacrymarum continuum oritur profluvium, major sanguinis et humorum copia, ad vasa per oculi bulbum decurrentia derivatur, ipsiusque oculi inflammatio, nisi mox levissima ista removeatur causa, subsequitur. Simili ratione, levissimas nervis, et tendineis ligamentosisve partibus illatas laesiones, ex quibus vel solam puncturam nominasse satis est, perniciosissimis effectibus producendis aptas evadere, notissima inter pathologos res est. Ne quid de sola ner-



vosarum partium compressione commemorem, vtpote a qua, etiam si levior fuerit, nisi tamen vel vltro cessaverit, vel opportune removeatur, stupores, inflammationes, quin imo gangraenosae corruptiones, citissime in sphacelum transiturae, provenire poterant. Hanc certe, minutulam visam causam posthabuisse, non inter minutos medici errores ponere conveniet, id quod vel unico constare poterit luxationum, aut finistre tractatarum, aut repositionum diutius protractarum, atque immensorum saepissime cruciatuum, exitialiumque periculorum, ex hac incuria inductorum, exemplo. Sunt tamen etiam ex aliis corporibus, quae nervosas partes male afficere poterant, nonnulla adeo exigua, vt, etiam si ne sensibus quidem manifeste pateant, molestissimo nihilo secius effectu perniciosae suae qualitatis gravitatem detegant; quorsum varii generis acria merito referenda sunt, tum corpori ingesta, tum in ipso corpore ex prava humorum degeneratione nata, vtpote quae non solum illas, in quibus haerent partes, saevissimis quandoque doloribus, et convulsivis motibus concutiunt, verum etiam omni humorum blandae qualitati inquinandae, et miscelae conturbandae, totique tandem corpori misere destruendo, nimium apta fiunt. Quid levioris porro videbitur momenti, quam exigua capitis laesio, vel etiam sola, absque notabili laesionis vestigio illata concussio, nihili saepius aestimata, cum tamen, vel sub cute integra, fissura minima, cranio impressa, aut resonitus, qui contrafissura appellari consuevit, aut sola etiam tremula cerebri concussio, letalis eventus esse possit causa. Scirrhus, vtpote tumor, doloris quidem expers, eapropter tamen eo magis extimescendus, quoniam hac ipsa dolosa quiete, nimium seculos aegros decipit, vix quadam aestimatione, hac ipsa de causa censetur dignus, in suis tamen incunabilis adhuc constitutus, resolventium medicaminum efficaciae non raro est obsequiosus; cum vero neglectus, et adultior factus, stimulantibus fortioribus, aut emollientibus etiam, intempestive sollicitatus fuerit, leonis dormientis et expergefacti ad instar exacerbatus, atque in canerosam exulcerationem degenerans, miserrima atrocissimorum dolorum,


et

et mortis tandem mercede, incuriam istam rependet. Et, quam multa, quin imo innumera propemodum sunt, et morborum, et aliorum, in corpore humano obvenientium effectuum phaenomena, vix sensibili modo incipientia, atque leviora hinc habita, stupendis nihilo secius mutationibus, virium suarum insidiosius auctarum vehementiam, funestis eventibus inducendis aptam prodentia, sollicitamque idcirco medicorum attentionem, qua in tempore averti possint, efflagitantia. Non prorsus otiosos spectatores, in sola talium minutiarum contemplatione, veteres fuisse medicos, vno alterove, ex solo HIPPOCRATE petito, constare poterit testimonio. Nimum subitam in diaeta permutationem *), victum ultra modum tenuem **), inopinam lassitudinem ***), vix aestimandarum forte rerum ad nonnulla loca decubitum *), et quae sunt plura, attente omnino in morborum praenotione, et consideranda, et in signis prognosticis exinde petendis ponderanda esse, praecipit. Et, si denique ipsorum complurium medicamentorum dispiciamus et principia activa, et agendi modum, vltro omnino profiteri conveniet, in minima quandoque, vel vnici granuli portiuncula, efficacissimas latere virtutes, eo minus etiam a medico posthabendas, quo graviora profecto damna, ex incauto heroicorum istorum, a medico vel parum cognitorum, vel temere nimum administratorum remediorum vsu, sanitati humanae inferri poterant, qua de re *opii, mercurii, camphorae, antimonialium, similiumque generosiorum medicamentorum, imo et venenorum, in vitae humanae perniciem imprudenter et impune a medicastrois adhibitorum, tristissimi abunde loquuntur effectus.*

B 3

Quae

- *) Si quis cito diaetam permutaverit, periculum etiam est a permutatione. *Libr. de natur. human.*
- **) Victus, ad extremam tenuitatem progressi, difficiles sunt. *Sect. I. aphor. 4.* addita tamen paulo post conditione: *nisi morbus in vigore fuerit, tunc enim tenuissimo victu utendum. Sect. I. aphor. 8.*
- ***) Lassitudines spontaneae, morbos denunciant. *Sect. II. aph. 5.*
- *) Quibus in febribus circa dentes viscosa adhaerent, his fortiores sunt febres. *Sect. IV. aphor. 53.*



Quae tamen iam per compendium saltem exponere licuit, alio tempore vberiore pertractatione persequar. Iam enim ad commendationem

VIRI CLARISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

DOMINI

CAROLI IOSEPHI OEHMII

MEDICINAE BACCALAVREI DIGNISSIMI

pergendum est, qui, quamdiu inter nostras versatus fuit Musas, omne tempus, solidarum disciplinarum, tam humaniorum quam medicarum studio impendit, idque sedulo egit, vt probatis doctrinae suae commendaretur speciminibus. Quo vero consilio, et quibus ducibus effecerit, vt nunc etiam illustribus peritiae suae exornari possit praemiis, ex vitae eius cum laude gestae ratione, ab ipso Candidato reddita, intelligetur.

Natus sum prope Dresdam in praedio paterno, anno huius seculi QVINQVAGESIMO SECVNDO, CALENDIS MAIIS. Patrem habui IOANNEM AVGVSTVM, Medicinae Doctorem et Praecticum Dresdensem, matrem autem IVLIANAM CHARLOTTAM ex gente EICHSFELDIA. Cum in secundo iam aetatis anno patre orbatus essem, mater educationis curam in se suscepit, et varios praeceptores priuatos elegit, qui mihi morum et scientiarum elementa traderent. In ea re maxime adjuta est ab avunculo meo CHRISTIANO AVGVSTO EICHSFELD, Artium Magistro, privatam vitam degente, cuius senectutem pio cultu veneror, et cuius in me beneficiorum dum vivo memor ero. Inter praeceptores vero meos, gratissima potissimum mente agnosco institutiones Opt. ROSII nunc apud DIPPOLDISWALDENSES, et Rev. KÜHNELII apud LUBENENSES verbi diuini ministrorum, b. SCHUBERTI autem memoriam sanctam semper seruabo. Ab his in cultu religionis et humanioribus, quas vocant, literis instructus, anno huius seculi SEXAGESIMO OCTAVO hanc Academiam adii et a MAGNIF. BOEHMIO, fasces tum tenente, in civium studiosorum numerum receptus, ab eo statim tempore a praestantissimis Viris consiliis adiutus sum. Incepi tum vitam academicam, Philosophiae dando operam, et SETDLIZIVM in Metaphysica et Logica, b. WINKLERVM in cursu philosophico et experimentis physicis, b. GELLER-


LER-



LERTVM in morum doctrina praeceptores audiui. Litteras elegantiores me docuerunt idem GELLERTVS, MORVS, CLODIVS, S. R. ERNESTI et ALTER huius nominis, Eloquentiae Professor. Matheos purae et applicatae elementa tradiderunt mihi EBERTVS et Cl. WITZLEBIVS. Cum vero ab eo statim tempore, quo Lipsiam accesseram, a MAGN. LVDWIGIO, nuperrime morte nobis erepto, quem semper ut patrem lugebo, quotidiana consuetudine exceptus essem, ab eo plurima Medicinae capita, Botanicam, Methodum doctrinae medicae, Pathologiam, Therapiam, praxisque clinicae et chirurgiae partem accepi. IDEM me in elaborando et disputando exercuit. EXCELL. PLAZIVM de historia Medicinae exponentem audiui. POHLIVS anatomicen mihi tradidit, et secandorum cadaverum copiam fecit. BOSIVS, cuius in me benevolentiam maximi semper aestimabo, in anatomia, physiologia et medicina forensi mihi praeceptor fuit, atque Collegio disputatorio sub eius praesidio florenti socius adfui, cuius nomine Cl. SCHVBERTO summos in medicina honores epistola DE SERIE CORPORVM NATVRALIVM CONTINVA gratulatus sum. KRAVSIVM de MORBIS OCVLORVM publice exponentem audiui. A GEHLERO vero, hospitio et consiliis per hos quinque annos exceptus, chemiae, mineralogiae, artis obstetriciae et praxeos clinicae fundamenta didici, meque pro omnibus favoris speciminibus, quae in me contulit, dum vivo, obstrictissimum fore, sancte polliceor. Neque unquam eorum obliturus sum bonorum, quae ex consiliis, institutionibus privatis et familiaritate Exper. KAPPII, Medicinae Doctoris et practici celebris, cuius amicitiam magni facio, in me redundarunt. Anno SEPTVAGESIMO PRIMO huius seculi mense Octobri, peracto examine theoretico, Baccalauri honores accepi, et anno sequente Lektionen pro Licentia DE MEDICAMENTIS IRRITANTIBVS EXTERNIS, recitavi.

Caeterum omnibus iis, qui, praeter hos nominatos per illud tempus, quo Lipsiae commoratus sum, sua amicitia et familiaritate me non indignum iudicarunt, vel me quibuscunque, quae vitam beatiorum reddunt, beneficiis ornarunt, gratissimam meam mentem testificor, spondeoque me omnium, quos amicos unquam cognovi, memoriam, dum vivo, sanctam servaturam esse.

Haec



Haec Candidatus noster, quibus in ipsius laudem addere convenit, quod paucis abhinc diebus in examine, rigorosiore vocato tentatus, RECTE responderit, atque summorum honorum capiendorum ergo, veniam fuerit nactus, ex cathedra medica doctissimam a se elaboratam Dissertationem *de Morbis recens natorum chirurgicis* assidente Moderatore Excell. BOSIO, Collega conjunctissimo, propugnandi.

Hoc certamine finito, ego quoque, quod mei est muneris, lubens peragam. Auctoritate nempe Procancellarii, ad hunc actum clementissime mihi concessa instructus, Candidato nostro potestatem dabo atque Licentiam, summum Doctoris in arte medica gradum capessendi. Quod, dum proximo veneris die, XVIII Junii facturus sum, *Vestram*, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, ILLUSTRISSIMI COMITES, GRAVISSIMI VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, GENEROSISSIMI ATQUE NOBILISSIMI VNIVERSITATIS HVIVS LITERARIAE CIVES, honorificam, omni qua decet observantia atque humanitate, exoratum cupio praesentiam, atque facilem in audiendo brevi sermone, *de licentia medica*, patientiam. Cuius singularis benevolentiae, neque Ordinem meum, neque me, immemores vnquam futuros, sincerrima fide spondeo.

P. P. Dominica I. post Trinit. Festum, A. R. G. MDCCLXXIII.



L I T E R I S B R E I T K O P F I O R V M .